

1615 que transmittendis, deque Italica pace egit : quam hisce conditionibus Philippus se amplexurum, atque cum Carolo in gratiam redditum pollicebatur ; si statim exercitum dimitteret ; nullam se Mantuano illaturum injuriam polliceretur ; quæ inter Carolum ac Mantuae Ducem controversiæ intercederent, Cæsari dirimendas permitteret . Ea dum præstaret Galliarum Rex, vicissim Hispanos copias dimissuros, neque damni quidquam Carolo illaturos conceptis verbis sese obstringebat . Hæc in Hispaniis inter Reges de Italica pace convinta, cum in Italianam pervenissent, plerosque summa spe compleverant, brevi fore ut, aurea pace restituta, tot armorum suspicionumque turba discuteretur . Itaque vj. idus maji Rambolietus & Gaufferius, quem Galliæ Rex in Italianam miserat, cum Carolo ad Vallem Severam convenere ; eique significarunt, Sylerium, ex Hispania redeuntem, Philippi sententiam attulisse ; nihil aliud a Carolo Regem petere, nisi ut tot militum numero, quot ad suarum ditionum securitatem sit opus, retento, reliquas copias statim dimittat ; controversiæ inter eum ac Mantuanum Cæsaris judicio permittantur ; atque ipse interea ab injuria vique in Mantuanum abstineat : his peractis, oppida occupata, captivique restituentur ; Philippusque de exercitu ita statuet, ut neque Carolus neque finitimi justa ulla suspicione perfundi possint . Sabaudus tempus ad respondendum petit, ut interea filiorum, qui Vercellis, legatorumque Principum, qui Augustæ Taurinorum erant, suorumque præconsultorum sententias exquireret . Sed multo quam antea majora impedimenta subordiebantur ; Carolus namque, si primus arma deposuisset, neque eodem tempore a Rege copiæ dimitterentur, certam se Hispanorum prædam futurum verebatur . Quapropter, si dimittendus ei esset exercitus, idem quoque facturos Hispanos, certo constare sibi petebat . Néque exigua de milite, quem ad sui imperii præsidium aleret, controversia erat, quæ alias agitata componi nequiverant . De perduellionis quoque crimine reis dissidia vertebantur ; neque enim, qui se bello juvissent, corporaque periculis ac neci objecta fient, ignaviter deserere æquum censebat .

Itaque, spe fere omni pacis abjecta, Mendoza cum exercitu,
men-